



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Enchiridivm Chronologicvm Sacræ Et Prophanæ Historiæ**

**Salian, Jacques**

**Coloniæ Agrippinæ, 1638**

Capvt X. Quæ pro eo delicto purgando fauere videantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)



### Introductio

*Jud. 15. 20*

*Jud. 16. 31.*

*Matt. 23.*

*24.*

ruant: quos vt stabiliant, non minore  
licentia viginti annos Heli Pontifici  
detrahunt; aut vt suos illi annos qua-  
draginta iudiciariæ potestatis confer-  
uent, Samsonem exautorare non du-  
bitant, quem sacer textus 20. annis iu-  
dicasse populum, semel iterumque  
testatur: aut certe duos simul Iudices  
toto Samsonis tempore constituunt.  
Denique quadraginta Arabicæ per-  
egrinationis annos, in vnicum annum  
audacter cogunt atque contribuunt:  
sic vt exitus ab Ægypto, non à primo  
egressionis anno, sed à quadragesimo,  
si superis placet, inchoerut. haud mul-  
to minore absurditate, quam si quis  
anno vitæ suæ quadragesimo dicatur  
viuere cœpisse. Nonne fuerat longe  
satius, illam, quam dixi, mitigare lo-  
cutionem, quam sese in tot absurdita-  
tum laqueos induere, & delicatius  
excolare culicem, cum audeas deglu-  
tire camelum.

### CAPVT X.

*Quæ pro eo delicto purgando fauere  
videantur.*

**A**T enim fauet isti sententiæ S.  
Augustinus, qui desertè inter-  
ualla pacis à bellicis, sollicitisque dis-  
cernit. Non negamus sane, quod tan-

tus



ad Chronologiam.

tus doctor affirmat, per interualla tē-  
porum paces alternasse cum bellis, sed  
affirmamus bellum pacemque suble-  
cutam, vnius principis gubernatione à  
Scriptura comprehendi, quod nusquā  
negat S. Augustinus.

Quod autem putant in sacris codi-  
cibus egressionem ex Ægypto pro vl-  
timo Abrahamæ peregrinationis anno v-  
surpari, profecto non rectè putāt. Non  
pigebit ipsa Mosis verba describere.  
*Ista est, inquit, lex quam proposuit Moyses  
coram filijs Israël, & hac testimonia, &  
ceremonia, atque iudicia, qua locutus est  
ad filios Israël, quando egressi sunt de Æ-  
gypto, trans Iordanem, in valle contra fa-  
num Phogor, in terra Sehon regis Amor-  
rai, qui habitauit in Hesebon, quem  
percussit Moyses: filij quoque Israël egressi  
ex Ægypto possederunt terram eius; &c.*

Et dici quidem potest, quod certif-  
simum est, Mosem bis populo legem  
enunciaſſe. Primum anno primo E-  
gressionis ad montem Sina: secundo  
vero anno quadragesimo ad Iordanē  
eā nouo populo repetiſſe. Et vtrumq;  
tempus videtur hoc loco Moſes com-  
plecti: & egressionem quidem ad pri-  
mum annum referre; Sehonis autem  
cædem, & possessionem regni eius ad  
quadragesimum. Sed dici rectius po-



### Introductio

rest. Mosen de illa egressione, quod ad  
tēpus attinet, distincte non loqui, sed  
cōfusè, sicut si dicamus, Regnāte Da-  
uide Absalon occidit fratrem suum. Vn-  
de nec annum vllum nominat Moses,  
sicut nec David, cum celebrat exitum  
Israēlis de Ægypto, vbi fugam maris,  
quæ primo anno egressionis contigit,  
cum recurso Iordanis, qui incidit in  
quadragesimum, eodem versu con-  
iungit, *Mare vidit & fugit, Iordanis con-  
uersus est retrorsum.* At Regum liber di-  
stinctè numerat annos 480. ab egres-  
sione ex Ægypto, non à traiecto Ior-  
dane, aut adita Chananitide. Nec erat  
opus Moysem illo in loco exactius di-  
stinguere tempora; id enim res non e-  
xigebat: requirebat autem, cum fun-  
dari templi Epocha constituebatur.  
Denique vt locutio Mosis isti opini-  
oni faueret, nonne satis est ad illam  
explodendam, rem totam cum noua  
ista, atque inaudita interpretatione  
pugnare? Quis enim vnquam, ab ipso  
Mose nato, dixit, annum exitus ab Æ-  
gypto, eum dicendum, aut acci-  
piendum esse, quem tute  
fatearis ab illo esse  
quadragesi-  
mum?

Ps. 113. 3.